Al Chiarissimo Cav.re Torio
in segno di stima
l'autore

ANTONII MIRABELLI
EPISTOLA ET CARMEN

Digitized by Google

MICHAËLI DE SANGRO

E SANCTI-SEVERI PRINCIPIBUS

ADOLESCENTI OPTIMAE SPEI, ET DULCISSIMO
ALUMNO SUO

ANTONIUS MIRABELLI

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Cum latinis litteris tanta animi contentione incumbas, quo currenti majores addam stimulos, MICHAËL CARISSIME, a praeceptore tuo habe munusculum. De amoenioribus studiis me quotidie audis disputantem, jamque exploratum habes, quod nihil jucundius, nihil in utraque fortuna praestabilius, nihil hac praesertim tempestate opportunius, cum nobili loco natos adolescentes ad omnem humanitatem cernimus informari. Te sedulam politioribus disciplinis operam navantem video, mihique gaudeo, quod non recentium litterarum amore tantummodo conquiescis, ceteraque omnia despicatui habes; verum optimo factum

consilio, ut veterum Italorum sapientiam perscrutareris et praecellentibus Latii scriptoribus mature adsuesceres. Vulgares viae vulgaribus ingeniis: juveni ad majora contendenti aut haec, aut nulla usquam via est quam quaerimus. Vidisti nuper in urbe totius orbis terrarum principe, vidisti innumera bonarum artium monumenta hodiedum communi admiratione dignissima, tantoque hominum concursu celebrata. Et praestantissima illa, ac prope divina romani ingenii miracula, commissa litteris, nihili aut parvi aestimabimus? Eo devenerat insanientis saeculi licentia, ut litteras omni refertas sapientia humi prostratas squalescere videremus, nec puduerit natos sub italico coelo Italiae glorias ignorare!

Ea porro imbecillioribus animis evellatur opinio, universas Latii litteras una Latii lingua contineri, et voces formulasque, praeterea nihil aliud in hujusmodi studio juvenes aucupari. Neque profecto aliunde, nisi ex incorrupta latinae linguae integritate pleraque in italicam derivarunt, ut matre pulchra filiam pulchriorem habeamus. Verum ad scrìptoris mentem percipiendam lingua sternit viam; neque omnia angustis linguae terminis circumscribenda. Primum totius operis conceptum, atque concinnam partium dispositionem, cogitata pro varietate argumenti multiformia, et suo

quaeque loco decentia, artem caeteroqui occultam, nullique visam mortalium exornantem omnia, et vividis omnia coloribus depingentem, orationem habitu ipso, cultuque rei ingenium referentem, tum gentis mores, tum temporis adjuncta, locorumque, tum scriptorem ipsum, et singula scriptorem formantia, ipsum denique lucubrationis genus quo auctor reliquerit statu, quidque addiderint postgeniti, quidque addendum: amabo, omnia haec in classicis Latii scriptoribus meditanti parvum erit operae pretium? Atque utinam italica juventus diu multumque temere pervagata consilia in melius referret, et velis retro actis in hujusmodi studio nonnihil immoraretur!

Neque illud dixerim ex beatissimo Augusti aevo omnia in nostras litteras traducenda: sunt litterae progredientis vitae speculum, et vividissima cujuscumque saeculi effigies. At nobis sub eodem coelo natis, eademque fruentibus naturae amoenitate, cum principe illo terrarum populo, quanta morum cognatio, animorumque intercedit! Quanta in nostras litteras prono alveo laberentur! Quantum decus, quae accederet perfectio! Ex ista cum optimis familiaritate nihil profecto nisi optimum prodiret. Michaël Carissime, antiquiores quid pulchrum semper, quid non, plenius ac melius docebunt. Ubi sinceram pul-

chritudinis imaginem toto hausoris pectore, laxas ingenio haberas permitte. Tunc sapientissime quolibet expatiaberis, ipse tibi lex, ponderosa puerilium regularum vincula contemnens, et vanam luxurieutinm ingeniorum licentiam. Sic Danthes, sic Petrarcha, sic Boccatius, tria illa Italiae, ne dicam Europae lumina, primam urbanitatis facem praetulerunt. Sic nostris temporibus sophoclaci carminis aemulator Alferius, et Vincentii Montis versatilis illa mens, et grandiloqua Caroli Bottae facundia, immortale sibi nomen compararunt.

Sed his ad quotidianae lectionis imaginem prolusisse satis est. Accipe meum carmen diligentiae tuae praemium, atque ad majora incitameutum. Si tantorum hominum vestigiis insistes, nostrae de te expectationi cumulatissime respondebis, et ex hac domestica atque umbratili exercitatione in solem et pulverem egrediens, tibi domuique tuae amplissimae, maximo eris ornamento. Vale.

IN

ANTONINI TORTORAE OBITU

CARMEN

Atque iterum vocor ad lacrymas! Socia agmina nuper
Junximus, et multo celebratus carmine vivit
Spectandus meritis, spectandus laude Tavassus.
Atque iterum vocor ad lacrymas. Ecce alter ab illo
Defuit. Ah! meritos justo date funere honores.
Multa tulit, fecitque: habeat quoque munere laudes.
I nunc, vana voces virtutem nomina, vanam
Effigiem. Si animas dia virtute decoras
Commemores, quid jucundo mortalia motu
Pectora demulcet? Vanescunt cuncta; profanis
Cuncta terens pedibus ruit imperiosa vetustas.
Quid superat tumulum, nigrique oblivia lethi?
Virtus; una super tumulo memorabilis errat.
Antonine, tibi en moesti modulamina cantus.

Non ego te novi, tua novi munera, novi
Virtutem, et lacrymans paucos tumulo affero flores.
Veloci ingenio, famaque vocante paterna
Accessitque forum, et tractat civilia jura.
Magnum opus: implicitum decisa lite clientem
Solari, et trepidis inopem defendere rebus,
Et lacrymas viduae, et nato tergere minori.
Sed graviora vocant. Ad saecula sera nepotes
Exoptat genitor, censusque adsignat avitos
Primigenae nato? Comes ingenioque, manuque
Juvit opus. Triplex consultum mittitur agmen,
Et patrias justo metitur pondere leges?
Consilio prudens adstat. Suprema senatus
Sanctior in regno consulta rogare parabat?
Ordine cuncta prior ponit. Per munera cuncta
Mens eadem, atque eadem ratio. Labe integer omni:
Stat lateri Pietas, et gressus monstrat eunti.
Jamque alacer studiis animum formabat honestis,
Nec vanis onerans mentem, nec inania captans
Nubila. Tot passim populi, tot saecula monstrant,
Quid faciat gentes laeta ditione beatas.
Jamque videt quanto praefervida lumine fulget
Europe! quanto circum molimine sudant
Arcanae mentes! .... Quae tam irrequieta cupido,
Illustres animae? Quae vestro meta labori?

Fingere felices homines, melioraque fata
Cudere fert animus? coelo deducta nitenti
Ipsa venit Sophia, et patuere oracula Divae,
Edixitque: animis hominum disquirite leges.
Ergo festinat vigili pervolvere cura
Antiquas leges. At mox consulta recentum,
Quae patria, externis quae sentit curia regnis
Colligit. Hinc hominum fibras descendit in imas,
Pertentatque omnes. Sic vero proximus instat,
Patria sic pleno meditatur lumine jura.
Unde novo cultu, unde novo subsellia coetu
Circumsepta vides? Qua late candida Siren
Panditur, et socio gaudet Trinacria monte,
Centum templa vides. Spectandam luce, novaque
Majestatę vides Themidem, centumque ministros
Omnes innocuos, puris in vestibus omnes?
Debita magna viro merces: probat ipse legendos;
Major justitiae Praeses dignatur honore
Sic meritos, Regique refert, vox regia sancit.
Quatuor heu! pueros suavissima pignora amoris
Viderat: ardenti quae gaudia mente fovebat
Pollicitus, si fata darent, cum posceret aetas,
Virtutis monstrare viam, rerumque docere
Arcana. At Boreas vota irrita raptat in auras;
Nec licuit firmos animis, viridesque juventa

Adspicere. Heu! laetae primo vix limine vitae
Ipsius ante oculos, ante ipsius ora feralis
Tres rapuit turbo. Misero nata unica vitae
Taedia lenibat. Brevia haec quoque gaudia! Mense
Vix decimo natam linquit. Moestissima rerum
Nata patrem quaeres, vultus ignara paternos.
Quid querimur miseri? pelago jactamur in alto;
Mille agitant undae; nequeas sperare quietem.
  Antonine, vale: saeclo defunctus iniquo
Nigrantes ridens nimbos, et turbida spernis
Aequora, tranquillo requiescis navita portu.
Sis felix: pacem nubes tibi nulla serenam
Turbet, perpetuumque choros agitabis in aevum.

DILUCIDAZIONI

Carmen. — Recitato nell' accademia che nel dì 29 dicembre 1839 venne celebrata in onore di *Antonino Tortora* capo di ripartimento del ministero di stato di grazia e giustizia.

Tavassus. — Si era pochi mesi prima celebrata altra accademia per onorar la memoria del commendatore D. *Gaetano Tavassi*, vice-presidente della corte suprema, e presidente della gran-corte civile di Napoli.

Ad saecula sera etc. — *Tortora* fu segretario della commessione de' titoli di nobiltà e de' maggiorati.

Triplex consultum etc. — Commessione di revisione del codice: *Tortora* ne fu il segretario.

Suprema senatus etc — Consiglio di stato di cui *Tortora* fu uditore.

VA1 1543712